



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio III. Quid dicendum de augmento gratiæ, & gloriæ per actus æqualis, & minoris intensionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

inquit, & charitatis attenditur quantitas præmii essentialis, quod consistit in Dei fruitione; qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur. Ex quantitate verò operis attenditur quantitas præmii accidentalis, quod est gaudium de bono creato. Et 1. Cor. 3. ad illud: *Unusquisque mercedem accipiet: Ut qui, ait, ex majori charitate laborat, licet majorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali accipiat; qui verò in nobiliori opere occupatur, majus præmii accipiat, quantum ad præmium accidentale.* Confirmatur primò aliis testimoniis, quæ adducit Bannez, & indicavit per actus remissiores charitatis non mereri justos augmentum gratiæ, & gloriæ, sed soli actui intensiori charitatis respondere; atqui actus virtutum moralium, etiam intensiores gratiâ, non æquivalent merito actuum remissiorum charitatis; ergo à fortiori per illos non merentur justis augmentum gratiæ, & gloriæ. Confirmatur secundò ex D. Bonavent. in 2. dist. 40. art. 1. quæst. 3. ubi docet multiplicitate bonorum operum non augeri præmium substantiale, sed accidentale; ergo &c.

48. Respondeo D. Thom. à nobis esse cum primoribus Thomistis, quos supra citavimus d. 2. n. 324. & 339. & d. 3. n. 24. & 25, unde ad primum locum Angelici Doctoris dicimus, decernere quidem pro quantitate charitatis dari à Deo quantitatem luminis gloriæ; non tamen excludere cæteras virtutes ab eo augmento præmii, ut bene notat Alvarez cit. num. 28. Ad secundum & tertium dicimus, non comparare actum charitatis cum actibus internis aliarum virtutum, sed affectum charitatis internum cum opere externo, docereque interno seorsim ab externo parari à Deo præmium essentialis, externo autem ultra illud disponi accidentale, quales dicit esse aureolas Martyrum, & Doctorum.

49. Ad primam confirmationem D. Thom. de actibus remissioribus charitatis dicimus: Primò Angelicum Doctorem pro opposito stare, ut infra videbimus num. 57. Secundò traditam doctrinam ad rem præsentem non facere; siquidem D. Thom. duplici ratione videtur excludere actus remissiores ab augmento gratiæ, & gloriæ: Prima, quia actus remissiores non disponunt physice ad augmentum habitus, ut arguitur ex naturalibus: Secunda, quia non disponunt moraliter ex eo quod fiant cum negligentia operandi, & non compleant totam virtutem gratiæ; sed hæc duplex ratio, sicut deficit actui charitatis intensiori, ita deficit actibus virtutum moralium infusarum intensioribus quantitate gratiæ, & gloriæ; ergo non est par eorum ratio cum actibus charitatis remissioribus. Ad Secundam confirmationem dicimus, Seraphicum Doctorem non conferre charitatem cum cæteris virtutibus, sed affectum internum cujusque virtutis cum multitudine imperatâ per illud operum externorum, ut de S. Thom. diximus.

50. Oppones 2. Essentialis perfectio vitæ Christianæ competit soli charitati, reliquis verò virtutibus sola perfectio accidentalis, & secundum quid; siquidem sola charitas dicitur ad Rom. 3. *Plenitudo legis.* Et ad Coloss. 3. *Vinculum perfectionis;* sed juxta perfectionem moralem vitæ retribuitur à Deo præmium essentialis, & accidentale; ergo soli charitati responderet præmium essentialis, reliquis verò virtutibus solum accidentale. Ante solutionem advertes, perfectionem supernaturalem, aut esse substantialem, aut accidentalem, aut moralem: substantialis competit soli gratiæ justificanti, utpote quæ conceptu primo radicis omnium habituum, & actuum supernaturalium æqualiter æmulatur substan-

tiam: accidentalis competit omnibus virtutibus infusis; & etiam charitati ut à gratia distinctæ; siquidem omnes sequuntur gratiam sicut proprietates naturam: moralis, quæ constituit hominem merentem apud Deum, completitur substantialem, & accidentalem; siquidem ad meritum requiritur, tum dignitas gratiæ justificantis, tum obsequium Dei elicium à virtutibus infusis. His positis.

Respondeo ad argumentum negando majorem, si sermo sit de perfectione essentiali morali, prout dicit obsequium Dei; siquidem hoc obsequium exhibere possunt omnes virtutes infusæ: quia tamen charitas illud omnium præstantissimum exhibet, & eminenter cæterâ continens, quæ ab aliis virtutibus exhiberi possunt, idè inter cæteras sola charitas dicitur vinculum, & plenitudo perfectionis, in eaq; potius, quàm in cæteris collocatur perfectio moralis, licet hæc etiam cæteras omnes virtutes comprehendat.

Instabis: Perfectio essentialis moralis consistit in unione cum Deo, & accessu ad ultimum finem; atqui sola charitas hanc perfectionem participat; ergo beatitudo essentialis, quæ consistit in perfectissima possessione Dei, soli charitati unienti nos cum Deo tribuenda est. Respondeo perfectionem essentialis moralem, sive morum, non consistere in sola unione, & accessu ad Deum per affectum, quæ solius charitatis est, sed in unione, & accessu per obsequium gratum Deo, quæ omnibus virtutibus infusis convenit; licet enim non omnes elicant affectum nostri in Deum, omnes tamen alligant affectum Dei in nos, qui Deum ipsum provocat, ut nos in sui fruitionem, & possessionem promoveat.

Urgebis: Ad meritum de condigno gratiæ, & gloriæ, necessaria est relatio charitatis in Deum, ergo tota quantitas meriti, & præmii ex quantitate actus charitatis referentis æstimanda est. Respondeo primò negando antecedens, ut patet ex supra dictis d. 2. à num. 339. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; licet enim requiratur charitas, non ita requiritur, ut præcedat tanquam ratio, & mensura adequata meriti, & præmii, sed tanquam pars, seu conditio necessaria ad augmentum meriti, & præmii: sicut etiam ad ipsum actum meritorium charitatis necessaria est gratia justificans, licet meritum condignum, & præmium ipsius actus non respondeat adequatè soli gratiæ justificanti, sed etiam perfectioni ipsius actus gratiæ justificanti conjuncti. Alia argumenta videri possunt supra d. 2. à num. 330. & 339.

SECTIO III.

Quid dicendum de augmento gratiæ, & gloriæ per actus æqualis, & minoris intensiōis?

DIFFICULTAS I. Utrum actus supernaturalis æqualiter intensus cum habitu gratiæ sit in homine justo condignè meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ? Affirmativè. Ita Durand. in 1. dist. 13. quæst. 9. num. 7. Agid. ibid. part. 2. quæst. 3. Richard. art. 3. quæst. 3. & in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 2. Capreol. quæst. 2. art. 1. ad 2. P. Ripal. tomo 2. d. 90. sect. 6. num. 64. & alii infra citandi. Probatur primò auctoritate D. Thom. in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 3. ibi: *Quando intenso actus charitatis adequatur intensiōi habitus,*

tunc homo meretur charitatis augmentum, quia tunc bene utitur eo, quod accepit. Idem habet in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 5. ad 2. & 1. 2. quæst. 114. art. 4. ad 2.

55. Probatur secundò ratione, quia iustus promeretur à Deo augmentum gratiæ, gloriæ, & virtutum per illum actum, in quo viribus gratiæ acceptæ non deest per aliquam negligentiam, sed omnem conatum suis viribus possibilem exhibet in illum; atqui ejusmodi sunt actus æquales virtutibus infusus; ergo per illos meretur iustus augmentum gratiæ, gloriæ, & virtutum. Confirmatur primò, quia Christus Dominus Matt. 25. laudat bonos, & fideles servos, qui acceperant duo, & quinque talenta, & alia duo, & quinque æqualia prioribus lucrati fuerant; ergo &c. Secundò, quia homo iustus per actus supernaturales remissiores meretur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, ut infra dicemus num. 57. ergo à fortiori illud merebuntur per actus æqualis intensificationis.

56. Dices: Ideo homo iustus per actus remissiores non meretur augmentum gratiæ, & gloriæ, quia cum possit intensiores elicere, ob suam tepiditatem, & negligentiam non operatur juxta vires gratiæ sibi concessas; sed eadem est ratio operantii actus æquales; siquidem cum æquali intensione virtutum, & gratiæ auxiliaria potest elicere actus intensiores, sicque operans solum æquales, non complet totam virtutem agendi sibi concessam à Deo; ergo &c. Respondeo supponi falsò, hominem iustum per actus supernaturales remissiores habitu gratiæ non mereri de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, ut jam dicimus: Sit igitur:

57. Difficultas 2. Utrum quilibet actus supernaturalis, etiam remissus hominis iusti sit cõdignè meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ? Affirmativè. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. & 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. Scot. in 4. dist. 21. q. 1. §. Illud est, & dist. 22. quæst. unica, art. 2. §. Ad 2. dico, Richard. in 1. dist. 17. art. 2. quæst. 3. corp. & ad 1. Gabr. in 4. dist. 14. q. 3. art. 3. dub. 3. Major. in 4. dist. 21. q. 1. §. ult. Capreol. dist. 14. q. 2. art. 3. ad 1. Victor. in relect. de Augment. Charit. part. 1. Cordub. lib. 1. qq. q. 9. dub. 2. Sor lib. 2. de Nat. & grat. cap. 17. fin. Ledesin. Aragon. hic a. 6. Lovca d. 16. Alvarez. de Auxil. d. 60. Malderv. 2. 2. quæst. 24. art. 6. conclus. 3. Pefant. d. 3. Conrad. 1. 2. q. 114. art. 6. Curiel. ibid. d. 2. conclus. 1. P. Henric. lib. 1. de Penit. cap. 27. num. 6. lit. Z. & cap. 33. num. 4. P. Soar. opusc. de Revivisc. merit. d. 2. sect. 3. à num. 29. & tomo 3. de Grat. lib. 9. cap. 3. num. 18. P. Vafq. 1. 2. d. 220. cap. 5. P. Valent. q. 2. punct. 3. P. Torref. d. 68. dub. 2. P. Marat. tract. de Charit. d. 45. P. Tanner. 2. 2. d. 2. quæst. 2. dub. 5. P. Egid. d. 8. de Merit. dub. 9. P. Hurv. 2. 2. d. 114. & alii, quos citat & sequitur P. Ripal. tomo 2. d. 90. sect. 7. P. Amicus tomo 3. d. 35. num. 198. P. Arriaga de grat. d. 51. sect. 1. subsect. 2.

58. Hæc conclusio satis probata manet ex dictis Sectione præcedente; siquidem omnes probationes, quibus supra à num. 26. probavimus, hominem iustum, non per solos actus intensiores charitatis, sed etiam per intensiores aliarum virtutum mereri novum ac speciale augmentum gratiæ, & gloriæ, æqualiter probant de merito actuum remissorum in ordine ad tale augmentum, ut jam ostendo. Primò, quia sacra Litteræ omnibus, & singulis operibus, licet levissimis, & facillimis hominis iusti promittunt augmentum vitæ æternæ; sed inter hæc opera possunt recenseri actus remissiores, præsertim charitatis imperantes actiones externas virtutum moralium; ergo &c. Secundò, quia Trid. citat

ad huiusmodi augmentum nihil aliud requirit, quam ut opus sit bonum, ab homine iusto, & ex gratiâ per Christum; sed id potest habere actus supernaturalis, licet remissus; ergo &c. Tertio, quia Sancti Patres huiusmodi augmentum tribuunt indiscriminatim omnibus virtutum operibus; ergo & actibus remissis.

59. Quarto, quia aliàs præter actum intensiorem charitatis, omnes alii, etiam ipsius charitatis, essent æqualiter meritorii gratiæ, & gloriæ; ac proinde non plus prodesset affectus charitatis, quo Virginitas, Vita Religiosa, aut Martyrium, quam quo conjugium, vita secularis, aut potus aquæ frigidæ expectetur; hæc autem non sunt dicenda; ergo &c. Quintò, quia actus remissiores habitu gratiæ, possunt esse digniores, & majoris meriti, quam intensiores, ut patet ex supra dictis; ergo etiam meritorii talis augmenti. Sextò, quia nova peccata merentur novam pœnam, licet fiant præteritis remissiora; ergo etiam novi actus moraliter boni merebantur novum præmium, licet fiant præteritis remissiores. Septimò, quia sequeretur: Primò, Deum irremunerata relinquere merita condigna gratiæ, & gloriæ: Secundò: parari viam, ut omnes iusti defendantur æqualiter Beati, & omnes peccatores æqualiter miseri. Tertio, avocari fideles à continuo usu, & exercitio virtutum; hæc autem non sunt admittenda; ergo &c. Præter assignata fundamenta, quæ ex supra dictis collegimus, eadem conclusio:

60. Probatur primò ex D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. Dicendum, inquit, quod quolibet actum meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, que est vita eterna. Et 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. Quilibet actus charitatis, inquit, meretur charitatis augmentum; hoc autem augmentum debet esse distinctum, non solum ab augmento præcedenti, quod prioribus actibus intensioribus respondet, sed etiam subsequenti, quod posteriori actui habitibus infusus intensiori respondet: tum quia ita intelligunt Angelicum Doctorem omnes sapientiores Thomistæ: præter Dominicum Bannez: tum quia si illud augmentum debet esse distinctum à præcedenti juxta mentem Angelici Doctoris, ita debet esse distinctum à subsequenti, cum non detur fundamentum, ut intelligamus, illum potius loqui de uno, quam de alio; ergo &c.

61. Probatur secundò, quia actus remissiores habitu in uno iusto sunt digniores præmio, quam actus intensiores habitu in alio iusto; ergo sic erunt in eodem iusto. Probatur antecedens, quia iustus ut decem eliciat actum intensum ut octo, & alius iustus ut quatuor eliciat actum intensum ut sex, quis dubitabit, digniorem esse actum intensum ut octo, elicitum à iusto ut decem, quam actum ut sex elicitum à iusto ut quatuor? Tum quia ille actus superat istum duobus gradibus: tum etiam, quia dignitas personæ operantis, quæ auget valorem meriti, ut infra dicemus, longè excedit dignitatem alterius; sed per te actus ut sex elicitus à iusto ut quatuor meretur novum augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo à fortiori illud merebitur actus ut octo elicitus à iusto ut decem.

62. Confirmatur, quia alioqui possemus dicere, majorem gratiam tollere meritum ab actu priori intenso ut octo, & mino em gratiam conferre meritum actui posteriori intenso ut sex. Item eosdem actus obtinere præmium ex eo, quod alii remissiores præcesserint, & illud de ordine ex eo, quod

praeferant intensiores; sed hoc asserere videtur absurdum reputatur; ergo &c.

63. Probatur tertio, quia contraria sententia eo solum negat augmentum gratiae, & gloriae per actus remissiores habitu gratiae; quia negligentia operandi intensiores reddit hominem justum incapacem, cui tribuantur majora dona; sed homo justus potest elicere actus remissiores habitu gratiae absque negligentia operandi; ergo potest per illos mereri augmentum gratiae, & gloriae. Probatur minor, quae sola indiget probatione: Primo, quia homo justus, sive habens gratiam ut quatuor potest simul elicere duos actus intensos ut duo, quorum altero velit jejunium unius anni, altero divisionem suarum facultatum in pauperes; nam si potest simul elicere unum intensum ut quatuor, etiam poterit simul elicere duos, quorum quilibet sit intensus ut duo; sed tunc non operabitur justus negligenter; siquidem habitu gratiae, quem habet, non potest ulterius suam activitatem porrigere, & totam illam in illis duobus actibus exhaurit, quorum tamen quilibet est remissior ipso habitu; ergo &c.

64. Secundo, quia ad operandum supernaturaliter praeter activitatem habitus, necessaria est gratia actualis, cujus intensio necessario commensuratur intensio actus, ut docet ipse Bannez; sed licet habitus gratiae sit intensus ut octo, potest gratia actualis esse intensa ut quatuor; alioqui affectiones sanctae eo essent intensiores, quod actus virtutum intensi essent frequentiores, quin dispensatio gratiae actualis, quoad intensiorem esset subiecta libito Dei largitoris, quod est absurdum a communi Theologorum consensu; ergo si justus impleverit totam intensiorem gratiae actualis in eliciendo actu intenso ut quatuor, licet non impleat intensiorem habitus ut octo, non operabitur negligenter; operabitur autem remissior ipso habitu; ergo &c.

65. Confirmatur, quia si justus ex negligentia operandi actum intensiorem non mereretur augmentum gratiae, & gloriae per remissorem, sequeretur etiam illud non mereri per intensiorem; siquidem plerumque operans actum intensiorem potest hujus intensiorem superare auxilio gratiae actualis; sed tunc etiam negligenter operaretur hujusmodi actum intensiorem; siquidem justus ut quatuor v. g. eliciens actum ut sex, potuit elicere illum ut octo, quia auxilium gratiae actualis movet voluntatem ad intensiorem ut octo v. g. negligenter autem operatur, qui non explet totam activitatem virtutis, & gratiae sibi concessae ad operandum; ergo per illum actum intensiorem habitu sic negligenter elicitem non mereretur augmentum gratiae, & gloriae; sed hoc non dicent; ergo sicut potest mereri augmentum gratiae, & gloriae per actum intensiorem habitu non expletem totam activitatem gratiae actualis, ita etiam poterit illud mereri per actum remissorem non expletem activitatem habitus.

66. Oppositum tenent aliqui asserentes, gratiam intendi per actus intensiores, aut aequales, non verò per remissiores, contra quos egimus in *Met. tract. 4. d. 2. sect. 2. n. 141.* pro quibus: Argues 1. autoritate Scripturae: Primo Matth. 25. *Habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quem locum D. Aug. declarat, ut gratis, & donis habitis bene utenti ulterius gratia detur; sed non utitur bene, qui elicet actum remissorem habitu; ergo nihil accipiet. Secundo Apoc. 2. 4. reprehenditur Episcopus Ephesinus, quod primam charitatem, id est antiquum fervorem remiserit: ibi: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti;* ergo tam longè abest à premio, ut potius reprehensione dignus sit. Tertio Apoc. 3. 2. reprehenditur Episcopus Sardienensis: *Non enim, inquit, invenio opera tua plena coram Deo meo;* ergo non remunerantur premio opera remissiora habitu gratiae.

Respondeo primo, argumentum, si probat, nimis probare, nempe actum remissum esse culpabilem, & reprehensione dignam; siquidem citata testimonia remissionem arguunt culpabilem, & reprehensione dignam; hoc autem in actum bonum, & meritorium non cadit, qualis est actus remissior habitu. Secundo, argumentum saltem non probare, requiri actus intensiores habitu ad novum augmentum charitatis, gratiae, & gloriae; nam sicut, actus esse habitui aequales, ut opera sint plena; & justus bene utatur donis, & gratis, quae habet; siquidem illis adimplet totam intensiorem, & activitatem habitus.

Tertio, aliud esse reprehendere remissionem actus, & aliud reprehendere actum remissum; nam actus remissus secundum gradus positivos, quos continet, reprehensibilis non est, cum omnes sint moraliter boni, sicque laudabiles, & meritorii: remissio verò est carentia majoris intensiōis, quae reprehensibilis erit, si ipsa major intensio fuerit praecipua, secus verò, si praecipua non fuerit sed haec major intensio communi lege non est praecipua; ergo justus remissione, sive actu remissiore non demeretur praemium, quod per gradus positivos bonitatis moralis meretur actus ipse remissior. Additur, esto justus remissione delinqueret venialiter, posse conjungere meritum gratiae cum peccato veniali. Haec in genere, specialiter autem ad singula testimonia.

Respondeo quarto, testimonium Matth. 25. nihil probare; siquidem ibi agitur de eo, qui omnino otiosum, & vacuum retinet talentum gratiae, praetermittendo opera etiam debita, ratione cuius omissionis meretur deperdere gratiam, quam habet: at verò qui elicet actum remissorem habitu, non retinet otiosum donum, quod habet, neque ipso actu, quem elicit, quidquam agit, quo meretur deperdere habitum gratiae. Ad alia testimonia dicimus, illos Episcopos reprehendi, quia mortaliter deliquerunt, ut plures Patres volunt, & insinuat ipse textus, nam de Episcopo Ephesino dicit: *Memor esto itaque, unde excideris, & age penitentiam;* De Episcopo autem Sardienensi, *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es;* sicque non reprehenduntur de remissione actuum, sed de omissione eorum actuum, qui ipsis praecipui erant, & quorum ommissio erat mortaliter peccaminosa.

Argues 2. In physicis actus naturalis remissus non intendit actum, sive habitum magis, aut aequè intensum; sicut neque calor calorem, aut lux lucem majorem, aut aequalis intensiōis; ergo neque sic intendunt actus supernaturales remissiores alios actus, aut habitus supernaturales magis, aut aequè intensos; ac proinde per actus remissiores habitu gratiae non meretur justus augmentum gratiae, & gloriae. Respondeo primo negando antecedens, ut patet ex dictis in *Met. d. 2. tract. 4. sect. 2. n. 141.* neque eadem est ratio de habitibus naturalibus, atque de calore, & luce; illi enim sunt causae equivocae, & diversae rationis, quales non sunt calor, & lux respectu alterius caloris, vel lucis, sicque ex hoc magis firmatur tradita doctrina.

Respondeo secundo, dato antecedente, negando consequens.

consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia cause physicae, quales sunt actus naturales, calor, & lux, operantur ad assimilandum sibi passum, quod si inveniatur sibi simile per majorem, aut aequalem intensiorem, non habent quid agant, ut diximus in *Phys. tract. 2. d. 4. sect. 4. à n. 150. & 156.* at verò actus meritorius est ad conciliandam sibi personam, in cuius obsequium fit, ut ab ea per novum obsequium, qualis est actus meritorius etiam remissior, novum præmium obtineat, ut obtinere potest, nihil attendendo ad assimilationem. Secundo, quia actus supernaturales non augent habitus infusos physice, sed tantum moraliter, ut diximus: at verò actus supernaturales etiam remissiores habitu possunt conferre morale concursum in augmentum habitus: tum quia ad concursum morale meritorium non requiritur æqualitas rei ad rem inter actus, & præmium, ut infra dicemus: tum etiam quia ad valorem meriti potest defectus intensiorem compensari, aut ex præstantia objecti voluti per actus; aut ex dignitate personæ; aut ex aliis circumstantiis, de quibus infra; quæ tamen ad causalitatem physicam nihil conferunt.

72. Argues 3. Negligentia agendi non est digna præmio; sed remissio, sive actus remissus, est negligentia agendi; ergo non est digna præmio. Respondeo posse actum esse remissum, sive remissorem habitu, & tamen absque negligentia agendi, ut supra diximus; siquidem per actum habitu remissorem potest quis velle opera eximia virtutum, ut supra insinuavimus; qui autem exercet opera virtutum eximia, negligens non est, licet illa non prosequatur amore omnium intensissimo; cum tamen negligentior sit, qui levia opera exercet, licet illa actibus intensioribus exequatur: sicut etiam negligentior est, qui per actum ut octo vult tantum elargiri obolum, quam qui per duos actus ut quatuor vult duo excellentiora obsequia, nempe profiteri religionem, & sustinere Martyrium.

73. Argues 4. Si actus remissi mererentur novum augmentum præmii essentialis, sequeretur, præberi ansam humanæ imbecillitati plurimum confidendi multitudini bonorum operum, & extinguendi fervorem charitatis, seu deserendi actus ferventiores; sed hoc non videtur admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; major enim ansa remittendi fervorem charitatis in contraria sententia; siquidem fideles ignorantes intensiorem habitus, quo præditi sunt, animo desponderent in exercitio virtutum, verentes ne non suis actibus superarent intensiorem habitus, prout requiritur ad meritum: at verò in nostra opinione accenduntur fideles ad continuum virtutum usum, sperantes, nullum fieri actum, qui præmio vacuus permaneat.

74. Instabis: Ex hac sententia sequitur, quemlibet justum remissè operantem posse per multiplicationem actuum, si per quinquaginta annos vivat, æquare, aut etiam superare gratiam, & gloriam alterius justii, qui per annum tantum intensissimè operatus est; sed hoc non videtur admittendum; videtur enim dari occasio ad operandum remissè, & non curandum actus intensiores; ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim sequela ullum habet inconveniens, sed magnum Dei favorem fundatum in valore operis, & dignitate ei proveniente à gratia sanctificante. Neque etiam in hoc datur occasio ad operandum remissè, ut diximus. Adde, quod nos non dicimus, homines tantum mereri per actus remissos, quantum per intensos, quod posset præbere eam occasionem; sed

absolutè dicimus mereri per actus remissos, & addimus, posse plus mereri per intensos, cæteris paribus.

Argues 5. Si quolibet actu, etiam remisso augetur charitas, gratia, & gloria, sequeretur, justum in patria incredibilem, & prope immensam intensiorem gratiæ, & gloriæ obtinere, nempe continentem tot gradus, quot fuerunt in omnibus actibus, quos elicerunt in via, qui cum innumerabiles fuerint, innumerabiles quoque erunt gradus, quibus gratia, & gloria Beatorum excreverit; sed hoc non est admittendum; ergo &c. Respondeo primò negando minorem; siquidem non est incredibile augmentum gratiæ, & gloriæ, quod est conforme fidei, & doctrinæ totius Ecclesiæ; sed tale augmentum est conforme fidei, & doctrinæ totius Ecclesiæ, quæ docet, mercedem nostris bonis operibus promissam esse grandem nimis, mensuramque fore confertam, coagitatam, & superfluentem, ut dicitur Luc. 6. 38. ergo &c.

76. Respondeo secundo negando majorem; neque enim nos tribuimus singulis gradibus cuiusque actus singulos gradus gratiæ, & gloriæ, sed plures gradus ejusdem actus possunt unico tantum gradu gratiæ, & gloriæ compensari, ut infra dicemus; siquidem generaliter charitas, gratia, & gloria non augetur per actus meritorios proportionem arithmeticam, sed geometricam. Undè licet habitus augeatur meritorie tota intensiōe actus, quia nullus est gradus in actu, à quo non augeatur habitus, non tamen ita augetur omnino æqualiter, & arithmetice ad intensiōem actus, sicque non potest dari illud augmentum incredibile, & prope immensum. Adde, quod idem argumentum fieri posset contra augmentum gratiæ, & gloriæ per Sacramenta acquisita, & quod ipsi Adversarii non negabunt; siquidem plures sunt iusti, qui quotidie celebrant, & Sacramenta suscipiunt, & incredibili cremento gratiam continuò augent.

77. Argues 6. Si iustus quolibet actu, etiam remisso, mereretur augmentum charitatis, gratiæ, & gloriæ, sequeretur, per actus remissiores augere quotidie facilitatem agendi, quæ augmento habituum infusorum augetur; sed hoc est contra id, quod experimur; siquidem experientia constat, quò magis in nobis crescit charitas, eò magis inclinari voluntatem ad frequentius, ferventiusque operandum; eò autem languiores effici in operando, quò diutius remissè operamur; ergo &c. Respondeo primò negando majorem; virtutes enim infuse, ut ait *P. Ripal. cit. num. 50.* non conferunt facilitatem operandi; sicque possunt augeri, quin augeatur facilitas operandi. Confirmatur, quia idem argumentum fieri potest contra augmentum gratiæ per Sacramenta, quæ per actus remissiores habitu conferunt iustis nova augmenta gratiæ, & virtutis, non tamen facilitatem operandi, quam experiamur.

78. Respondeo secundo negando minorem, qui enim continuò operatur actus æquales, faciliorem se sentit ad operandum, quam qui nullos, aut raros ejusdem intensiōis agit; sicque experientia potius huic veritati favet, quam nocet. Undè si remissè operantes fervorem non experiantur, idè est, quia fervor actualis, qui tantum à nobis sentitur, non est in habitu, sed in uberioribus, & illustrioribus auxiliis actualibus, quibus ordinariè apponit impedimentum ille, qui remissè operatur, quatenus admittit in se contrarias cogitationes, & affectus disparatos celestium cogitationum semina retardantes.

Argues 7.

79. Argues 7. In instanti justificationis non infunditur gratia, nisi juxta æqualitatem intensiōnis actūs meritorii de congruo; ergo etiam in augmento conferendo non infunditur gratia, nisi ad æqualitatem actūs meritorii de condigno. Respondeo argumentum posse procedere, aut in opinione asserente, meritum condignum augeri etiam ex gratia habituali, sive dignitate personæ; aut in contraria id negante, de quâ infra: Si juxta primam, dicendum est, in primo instanti justificationis solum dari gratiam juxta æqualitatem dispositionis, quia non datur aliud præmium, cui correspondeat major gratia: maxime verò in merito de condigno, nam præter actum meritorium, datur etiam in subiecto gratia, quæ illud dignificat ad majus præmium. Si juxta secundam opinionem, dicendum est, sicut in merito de congruo in prima justificatione datur prima gratia juxta intensiōnem actūs meritorii de congruo, geometricè tamen, ita etiam in merito de condigno dari augmentum gratiæ juxta intensiōnem actūs, servatâ tamen proportione geometricâ actūs, sicque argumentum non habere vim, imò posse retorqueri, ut consideranti patebit.
80. Argues 8. Ideo actus remissiores mererentur augmentum gratiæ, & gloriæ, quia cum sint moraliter boni, laudabiles, ac meritorii, debent compensari aliquo præmio; sed ut aliquo præmio compensentur, sufficit, ut eorum titulo conferatur homini iusto idem augmentum gratiæ, & gloriæ correspondens actui intensiori; siquidem idem præmium potest pluribus titulis, & meritis satisfacere; sic enim eadem gloria corporis tribuitur Christo Domino titulo hæreditatis, & connaturalitatis, & simul titulo suorum meritorum: eadem redemptio generis humani est præmium omnium, & singulorum ipsius operum; ergo non est necessarium, ut actibus remissioribus respondeat novum augmentum distinctum ab eo, quod actui intensiori respondet.
81. Respondeo primò, argumentum, si quid probat, nimis multum probare: Primò, posse justos cum æquali beatitudine essentiali potiri præmio debito meritis inæqualibus, etiam intensioribus habitu, ut supra diximus, & negavimus *num. 41*. Secundò, cum præmium essentialiale debitum actibus remissioribus debeat esse infallibile, utpote à Deo promissum, præmium autem respondens actui intensiori non sit infallibile, siquidem potest stare fieri actus remissiores, & nullum fieri intensiorem, sequeretur, irremuneratum relinqui meritum actuum remissiorum, quia nullus daretur actus intensior, cujus præmio ipsi remunerarentur novo illo titulo; hoc autem jam supra impugnavimus.
82. Respondeo secundò negando minorem: licet enim Deus absolute possit plura merita pluribus præmiis digna unico tantum præmio remunerare; id tamen secundum legem Dei ordinariam de remunerandis hominum meritis impossibile est; siquidem Deus promisit, ut supra diximus, novis, ac distinctis meritis nova, ac distincta præmia, seu augmenta gratiæ, & gloriæ conferre: cum autem actus remissiores habeant novum, ac distinctum meritum ab actu intensiori, novum, ac distinctum præmium debet eis correspondere. Unde:
83. Ad probationem minoris dicimus, non parem esse Providentiam Dei circa opera Christi cum illa, quam habet circa nostra: Primò, quia Deus re ipsâ noluit pro diversis titulis, ac meritis Christi Domini diversa dona, ac præmia conferre, sed omnibus collectivè sumpris unicum, & idem præmium dispensare: at verò nostris operibus voluit.

Secundò, quia ad eam providentiam in Christo specialis ratio Deum movit; nam cum singula merita Christi Domini essent infiniti valoris, extra eorum dignitatem nullum erat præmium possibile, quod eis non deberetur, sicque nullum potuit præmium à Deo disponi uni operi Christi Domini, quod non caderet sub meritum alterius; ac proinde unum, & idem fuit omnibus, & singulis ejus operibus à Deo dispositum: at verò opera justorum sunt finiti, & limitati valoris, nec suo pretio attingunt omne præmium possibile aliis operibus, sicque potest, & voluit Deus singulis eorum operibus singula præmia dispensare, quin opus esset, idem præmium sub valore plurium operum comprehendendi.

Argues 9. ex D. Thom. in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 3. ad 2. & 5. & in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 5. ad 2. & in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ad 4. & in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 4. ubi negat actibus remissioribus novum charitatis, & gratiæ augmentum. Et D. Bonnav. in 2. dist. 40. quæst. 3. ubi docet, solum majorem charitatem, ac meliorem voluntatem proficere ad meritum præmii substantialis, & gloriæ, operum verò multipliciter solum conferre ad meritum præmii accidentalis; ergo &c. Respondeo D. Thom. sententiam, quam docuit locis citatis, retractasse postea in Sum. Theologica, ut dicunt *Capreol. Zamel. Alvarez*, & alii Thomistæ, & patet in 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. & 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. Nisi velis dicere cum *Calet.* & aliis Thomistis, Angelicum Doctorem solum negare, justos per actus remissiores mereri augmentum gratiæ concomitans, nempe quod statim conferatur; siquidem in Sum. Theologica asseruit, tale augmentum mereri, dispensandum tamen, aut cum justis ferventius operetur, aut alio tempore: nullibi autem docuisse, tale augmentum non esse peculiare, ac distinctum ab augmento, quod, responderet actui intensiori subsequenti.

Ad auctoritatem D. Bonnav. dicimus, Seraphicum Doctorem expressè differere de actibus virtutum internis comparatis cum externis, docereque, meritum gloriæ essentialis non crescere ex incremento bonitatis externæ operum, sed bonitatis internæ affectuum voluntatis, ut colligitur ex propositione ipsius quæstionis: ibi: *Utrum bonitas operum addat ad bonæ intentionis meritum, quantum ad numerum operum?* Ubi manifestè distinguit bonitatem intentionis à bonitate operum externorum, de quâ videtur quæstionem instituire.

SECTIO IV.

Utrum actus virtutum difficiliores, cæteris paribus, majus augmentum gratiæ, & gloriæ mereantur?



AVERTES primò, difficultatem actūs eliciendi posse ex triplici capite contingere: primò ex parte objecti: secundò ex parte subiecti: tertio ex parte ipsius actūs. Difficultas ex parte objecti, sive objectiva oritur, aut ex multitudine actionum, quam quis amat, ut servare omnia præcepta, vitare omnia venialia: aut ex molestia, & labore sensibili ipsius operis, ut mortem oppetere, & gravia tormenta subire: aut ex arduitate, & magnitudine operis, ut omnes facultates in pauperes distribuere, & vitam Religiosam